SCHOLASTICÆ THEOLOGIAE SYNTAGMA Mnemonicum.

PER

JOHANNEM PRIDEAUX,
haud ita pridèm apud
OXONIENSES S. T.
Professorem REGIUM,
& Postea
Episcopum Wigornienſem.



OXONIÆ,
Excudebat Impensis suis LEONARDUS LICHFIELD,
Academiæ Typographus. Anno Dom. 1651.

SCHOLASTICÆ THEOLOGIAE

Syntagma Mnemonicum.

SCHOLASTICA dicitur *Theologia*, quæ methodo ſatis probanda, ſed ſtilo neglecto, ſcrupulosè potius & contentiosè, quàm ſimpliciter & poſitivè, credenda, agenda, & prædicanda conglobat.

Hujus vulgò tres ſtatuuntur periodi. Prima initium ſumens à *Lanfranco Papienſi* An. 1020 per an. ferè 200 ad *Albertum Magnum* extenſa, Patrum tantum ſcripturæ æquabat ſententias. Secunda ab *Alberto* ad *Durandum Portianum* intervallo ſcilicet 110 annorum (nempe ab an 1220 ad 1330) *Ariſtotelis*, & aliorum philoſophemate ad Theologica determinanda admiſit. Tertia à *Durando* uſque ad noſtra tempora *Danæi proleg. p. 2005.*

tempora superioribus adjecit Papæ decretalia: ut de fide habeatur illud, vel aliter & in scholis defendatur, quicquid Pontifici placuerit è cathedra stabilire.

Hanc præ cæteris excoluerunt 1 *Lombardus*, 2 *Albertus*, 3 *Halensis*, 4 *Aquinas*, 5 *Scotus*, 6 *Occamus*, 7 *Durandus*.

E quibus protuberarunt 1 Sententiarii, *Lombardi* interpretes. 2 Summistæ, *Aquinatis*. 3 Casuistæ nectentes plerumque nodos quos non solvunt. 4 Dictionaristæ, quales *Alstenstaig* & *Raynerius de Pisis* alphabeticè singula disponentes. 5 Glossatores, ut ordinaria, & interlinearia. 6 Postillatores è textu theses elicientes. 7 Conciliatores, dissentientium *Thomistarum* & *Scotistarum*, ut *Sarnanus* & *Rada*. Inter horum tamen spissa volumina 1 De Scripturæ authoritate aut canone. 2 De Papæ infallibilitate & suprematu. 3 De Ecclesiæ natura & notis. 4 De Conciliorum jurisdictione & potestate. 5 De cultu & Sanctorum invocatione. 6 De fide justifica. 7 De jurisdictione Magistratus civilis in sacris parùm aut nihil occurrit.

Lyra. Gorran.

Sententiarum *Mro* facem prætulerunt 1 *Damascenus*, 2 *Hugo de S. Victore*. 3 *Richardus de S. Victore*. 4 *Petrus Abeilardus*. 5 *Bendinus*, 6 *Gulielmus Theodorici*, & 7 *Gualterus Pictavienſis*, primus Quodlibetarius circa An. 1240.

Revocari autem (quæ nunc obtinet) solet doctrina Scholastica ad capita de

1 DEO.
2 OPERIBUS IPSIUS.
3 PECCATO.
4 REDEMPTIONE.
5 GRATIA.
6 SACRAMENTIS.
7 NOVISSIMIS.

Quæ *Lombardi* 4 lib. sententiarum, *Hallensis* & *Aquinatis* summas, & *Johannes de Combis*, sive *Alberti*, sive *Bonaventuræ* Theologiæ compendium in præcipuis saltem exhauriunt. E quibus præcipuè hæc insequens consarcinatur Introductio.

An-

Quæſtiones liberius penſitandæ.

An
1. *Scholaſtica Theologia Philoſophiæ ſecularis inutili curioſitate merito cenſeatur fœdata?* Aff. *Trithenhem. de ſcript. in P. Abeilardo.*
2. *Operæ pretium ſit (præſertim junioribus) horum placitis innitii?* N. *Quia talis ſcholaſticus evadit plerumq; phantaſticus; ut aranea ſeipſum eviſcerans ad capiendas muſcas.*
3. *Frequentiores ſint ex colliſis Patrum, Philoſophorum, & decretalium textibus, quàm ex ſcripturis ſcholæ determinationes?* A.
4. *Reformatio Proteſtantium ex ſaniorum ſcholaſticorum conſenſu poſſit corroborari?* A.
5. *Sententiarii Summiſtis ſint præferendi?* A.
6. *Thomiſtæ potius quàm Scotiſtæ ſint ſequendi?* D.
7. *Præcedentium ſcholaſticorum Jeſuitæ acceſſerunt correctores potius & Mri quàm diſcipuli?* A.

CAP. I.

DE DEO.

1. DEum esse, & unicum tantum esse compendiosius & punctius ostendunt *Bonaventura Scotus* & *de Combis*. quem & reliqui statuunt esse actum purum, ab omni compositione aut potentialitate immunem. Itaque

2. Quicquid est in Deo est ipse Deus, nec accidentia in Deo concipiantur, licet sint à Deo; cujus esse est essentia, sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, non ab alio bono bonus, sed omnis boni bonus. *de Combis. c. 16.*

3. In Deitatis unitate molestè discutiuntur
1. Trinitas.
2. Propria.
3. Appropriata.
4. Notiones.
5. Relationes.
6. Attributa.
7. Ideæ.

4. Ad Trinitatem explicandam duas adducunt processiones seu emanationes: Tres personas: Quatuor relationes: Quinque notiones: sic ut filius, per modum intellectus quo pater seipsum intelligit, ab æterno à Patre generetur. Spiritus Sanctus per modum voluntatis ab utrisque una spiratione procedat. Unde

5. Proprium Patris characteristicum à nullo esse; Filii

lii à Patre generari ab æterno; SS. ab utriſque procedere. Nihilominus

6. Utcunque omnia eſſentialia omnibus æqualiter conveniant appropriatur Patri potentia; ne ratione antiquitatis credatur impotens: Filio ſapientia, ne ratione juventutis credatur impotens: Spiritui Sancto bonitas, ne ratione impetuoſitatis credatur crudelis. quæ parum abſunt à blaſphemia. *de Combis. l.1.c.16.* Rectius *Bonaventura* patri unitatem, filio veritatem, SS. bonitatem accommodat. *de Term. Theolog. p. 666.* Inde

7. Eliciantur Relationes quatuor, paternitas, filiatio, ſpiratio & proceſſio: quæ non componunt ſed diſtinguunt, & ratione differunt inter ſe, & ab eſſentia non realiter & abſolutè. *Aquin. part.1. quæſt. 27. art.4.*

8. Ab his parum deflectunt notiones, quæ ponuntur quinque; paternitas, filiatio, proceſſio, innaſcibilitas, & communis ſpiratio. E quibus Tres ſunt perſonales, perſonas diſtinguentes; innaſcibilitas vero Patri tantùm convenit, non includens relationem: ſic ut omnis relatio ſit notio, ſed non è contrà. *de Comb. l.1.C.22.*

9. Attributa æquè competunt omnibus perſonis. unde Regula; opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. Harum certus non ſtatuitur numerus. præcipua ex iis attendenda ſunt Dei 1. Scientia, ſub qua prædeſtinatio, & liber vitæ. 2. Voluntas 3. Omnipotentia 4. Omnipræſentia 5. Immutabilitas 6. Juſtitia & 7. Miſericordia, de quibus infinitæ apud Scholaſticos ſpeculationes. Qui & *Vid. de Comb. l.1.c.29. prædeſtinatio ſub ſcientiâ & liber vitæ.* Ibid.

10. Ideas ſtatuunt eſſe formas æternas, & incommutabiles in mente divina: quas ab exemplis, & rationibus (quæ in Deo etiam concipiunt) ſic diſtinguunt; ut idea importet cauſam efficientem effectui conformem; exemplar, cauſam formalem; ratio verò, cauſam finalem. *de Comb. l.1.c.25.* *Scotus ad d. 35. l.1. Sententiarum. & Aug. quæſt. 83. q.46.*

11. Sed Platonica iſta de Ideis ſpeculatio, ab *Auguſtino* ad ſcholas traducta, nec admodùm videtur neceſſaria: *Aq.1.p.q.15. art.1. ad 3.*

ria: cum idea in Deo nil aliud sit quàm Dei essentia; nec Mr hic aliquid determinaverit; nec convenit hac de re inter Scotum & alios. Sufficiat igitur Deum essentialiter omniscium esse profiteri; nec cogitata ipsius ad cerebri humani idola præcipitantiùs conformemus.

QUÆSTIONES.

An
1. *Aliquid offerendum sit Deo, quod in Scripturis non expresse habetur, vel inde non certo potest deduci?* N.
2. *Aliquod accidens in Deo esse agnoscatur?* N.
3. *Trinitas personarum in Deitatis unitate rationis captum superat?* Aff. Aq. p. 1. quæst. 32. art. 1.
4. *Distinctio inter tres personas rectius dicatur modalis quam realis?* D.
5. *Doctrina de propriis & appropriatis turbetur potius quàm illustretur ab adjectis relationibus & notionibus?* D.
6. *Constet apud Scholast. de certo attributorum divinorum numero?* N.
7. *Consultius Mr cum quibusdam sententiariis de ideis speculationem omiserit, quam Summistæ adjecerunt?* A.

CAP.

CAP. II.

DE DEI OPERIBVS.

1. TRiplex ſummæ bonitatis obſervatur effluxio per 1. Generationem, 2. Spirationem, & 3. Creationem. Priores duæ ſunt æternæ, tertia temporaria, à qua prodierunt creaturæ. de quibus Mr *ſent. l. 2. Summiſtæ ab Aq. 1. part. q. 44. Comb. l. 2.* *Comb. l. 2. c. 1.*

2. Creaturæ commodè tribuuntur in Spiritus, & ſex dierum opera viſibilia.

3. Hinc claſſicali quaſi quadam conformitate è Nihili abyſſo emerſerunt
1. Spiritus.
2. Lux.
3. Cœlum.
4. Tellus.
5. Stellæ.
6. Piſces.
7. Pecudéſq; cum Homine ipſorum domino.

4. Spiritus præponuntur & proponuntur, ut 1. Subſtantiæ prorſus incoporeæ, 2. Cum cœlo Empyreo, materia prima, & tempore coævæ, 3. Intellectuali perfectione præ cæteris creaturis prædiți, voluntate tamen labili, 4. Quibuſdam hierarchiis diſpoſiti, 5. E quibus numeroſa turba cum *Lucifero* antelignano rebellis tranſierunt in diabolos æternùm cruciandos. 6. Reliqui vero in

gratiâ confirmati, vel assistentes sunt throno divino, vel ministrantes Angeli, & ex his 7. quidam regionibus & provinciis sub Archangelorum, alii particularibus personis sub Angelorum titulo custodes sunt à Deo deputati.

2 Sent. d. 13. A. 5. Inter creaturas corporales congruè mundi ornatus à luce cœpit (inquit *Mr*) unde cætera quæ creanda erant viderentur. In luce tamen positi de hac primæva creatura, ut noctuæ ad solem cæcutimus. 2. Hujus naturam potius quàm beneficium discutiunt scholæ; qualitatem potius eam esse statuentes quàm substantiam. 3. A lumine verò, splendore, & colore sic distinguunt: ut lux dicatur in corpore lucido; lumen in medio diaphano; splendor à terso objecto repercussus; color ab opaco. 4. Sed lucis naturam nobis esse imperveſtigabilem ostendunt ista. In qua via lux habitat? *Job.* 38. 19. & per quam viam spargitur, *v.* 24. 5. Videtur lux primæva fuisse, quasi participium, ex spirituali & corporali natura conflatum. 6. Vel materia corporum cœlestium & lucidorum (ut terra rudis & informis opacorum) 7. Quæ postea in sole formata & per varia diffusa corpora; elementaris ignis in inferioribus meritò æstimetur: ut sic tria emergunt rerum corporalium principia; lux cœli empyrei, stellatæ & ignis elementaris materia; aquæ, nubium superiorum & aquatilium; terra, corporum inferiorum & hominis. *Alsted. Phys. Mosaic. epilog.*

Comb. l. 2. c. 6.

Aq. 1. part. q. 67.

Willet in Gen. Danæus.

6. Cœlum sive expansum secundùm opus hexameri in aereum & æthereum rectè ab illis distinguitur. Unde 2. aquæ nubium superiores per expansum aereum ab inferioribus terrâ, interlabentibus commodè distinantur. 3. Nec omittitur hic Dei approbatio cæteris operibus impertita, quod esset bonum; quia binarius numerus est alteritatis & divisionis signum; sed ob arctiorem operum commissuram, cum 1ª diei opificio, hujus bonitas includitur.

Juxta Mrum 2 Sent. d. 14. D.

7. Congregationem aquarum in mare, ut inde terra cum

cum herbis, arbuſtis, & arboribus, quaſi ex abyſſo, caput efferret, attingunt ſententiarii & ſummiſtæ: ſed quomodo terra, & aqua unum globum conſtituunt, quod centrum univerſi habeatur, qua ratione aqua terram humectat, & per occultos quoſdam meatus fontibus, & fluminibus diffundit ſcaturigines, quæ rurſus in oceanum refluunt; qui theſauri lateant in terræ viſceribus, aut maris fundo, opportunius in phyſicis diſcutiuntur. & ſic opera diſtinctionis præceſſerunt in 1° triduo. Ornatus adjicientur coronides in diebus tribus ſequentibus. Ergo

2 *Sent. d.* 14. *Aq.* 1. *part. q.* 69.

8. Quartæ diei ornamenta fuerunt ſolis, lunæ, & ſtellarum luminaria, non ad aſtrologicas dirigendas inceptias; ſed temporum diſtinguenda momenta: quæ Mathematicorum ſcrutiniis conſultò à noſtris relinquuntur. Prout in

9. Quintæ diei tranſactione de piſcibus & volatilibus nil præter textum apponitur: niſi quod aves unà cum piſcibus ex aquatili educunt materia. quod textus originalis non ſuppeditat, ut habet vulgaris.

2 *Sent. d.* 15. *Aq. v. ſ. q.* 71.

10. Sextus autem dies terreſtria cujuſvis ſpeciei in lucem produxit animalia, cum homine eorum Domino. 2. De brutis autem feris & jumentis nil fere ingerunt *Magiſtri*, niſi quòd quædam malè utentibus noxia evadant animalia, & orta ex putredine, potentia tantùm dicantur primitus creata.

Mr & Aq. v. ſ.

11. De homine verò primò quoad animam ejuſque potentias & facultates, deinde quoad corpus, ejus formationem & conditionem philoſophica congeruntur, à Summiſtis præcipuè, quæ rectiùs à ſententiariis omittuntur. Notatur tamen ferè à ſingulis ipſius 1. Ortus è limo terræ, 2. Animatio, à Dei inſpiratione ad propriam imaginem, 3. Uxor illi adjuncta è coſta dormientis efformata, 4. Habitaculum illi conſtitutum terreſtris paradiſus, 5. Mandatum eidem injunctum ne comederet, vel attingeret fructum arboris ſcientiæ boni & mali. 6. Se-

Vid. Aq. part. 1. *q.* 75. *ad* 103.

ductio eorundem per serpentem, 7. Lapsus & à paradiso exterminatio. quæ discutiunt prolixiùs & scrupulosiùs Sententiarii *l.2.d.16. ad d.24.* & Summistæ *Aq. 1. part. à q.75. ad finem* 102.

12. Hexamero coronidem imponit Sabbathum, in quo operum præcedentium consummatio, 2. Dei ab operando cessatio, 3. Et Dei ipsius benedictio, & sanctificatio expendenda proponuntur. Ubi consummatio, totius fabricæ approbationem, requies, cessationem à novis creaturis condendis, sanctificatio istius diei, separationem ab omnibus avocamentis inculcat; ut ad contemplandam creatoris in fabrica cœli, terræ & maris, & omnium in illis comprehensorum omnipotentiam, gloriam, & benignitatem studiosiùs & solicitiùs excitemur.

2 Sent. d.15. Aq.1.p.q.73.

QUÆSTIONES.

An {
1. *Spirituum creatio indefinito temporis intervallo visibilis mundi architecturam præcesserit?* N.
2. *Tot Angeli ceciderint quot steterant, & creatus fuerit homo ad supplendum lapsorum numerum?* D.
3. *Cœlum, aqua, & terra statuenda sunt genuina corporum omnium naturalium principia?* Aff. Alsted. in Harm.
4. *Lucis extraordinaria per diffusionem, & contractionem dispositio, triduum ante solare concipiatur constituisse?* A.
5. *Aves potius aquæ quàm terræ debent originem?* N.
6. *Gravior fuit Adami quàm Evæ lapsus?* A.
7. *Paradisi situs possit certò designari?* D.

CAP.

CAP. III.

DE PECCATO.

1. PEccatum rectè agnoſcunt eſſe legis tranſgreſſionem, ſive dictum, factum aut conceptum contra legem æternam: quod differt à malo, quia illud poteſt eſſe pœnæ, & divinæ juſtitiæ actus; (cum Deus peccati author abſque blaſphemia non ſtatuatur) à vitio etiam diſtinguitur, quia illud inanimatis & brutis; peccatum verò rationabilibus tantum competit; nec cauſam habet efficientem, ſed deficientem, bonum cui adhæret & inhæret deformantem, & ad pœnam per reatum obligantem. *Aug. de conſenſ. Evang. l. 2. c. 4. It. contr. Fauſt. Manic. l. 22. c. 27. Bell. de amiſſ. grat. & ſtat. pecc. l. 1. c. 1.*

2. Hujus monſtri ſeptem cenſentur capita
1. Angelicum.
2. Originale.
3. Veniale.
4. Lethale.
5. Clamans.
6. Sacrilegum.
7. In Spiritum Sanctum.

3. Peccati Angelorum *Lucifer* deſignatur ſignifer; quem aſſerunt per ſuperbiam ex qualibet hierarchia numerum indefinitum rebellantium ſecum in non terminandum exitium rapuiſſe: quem replendum eſſe dictitant ab electis hominibus ante fixam ſeculi futuri conſummationem. *Comb. l. 2. c. 28. Halenſ. part. 2. q. 97. Comb. l. 2. c. 55. & 56.*

4. Originali præmittunt diabuli tentationem, cui ſuc- *Aq. 1. 2. q. 185. ar. 3.*

cumbens cum uxore *Adam* per personale suum peccatum humanam sic infecit naturam, ut natura ita infecta contaminaret omnium posterorum personas. unde quatuor insequuta sunt naturæ vulnera; ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, & concupiscentia in concupiscibili.

Aq. 1. 2. q. 89. ar. 1.

5. Veniale peccatum non contra, sed præter legem committi sentiunt; ideoque in patratte non causat maculam, quia non avertit à Deo; sed non nihil impedit, & retardat quò minus perfectionem assequatur. unde si vellet Deus non condonare temporali tantùm, non æterno supplicio est afficiendum (mitigante *Bellarmino*) commodum interim Purgatorio præbet pabulum.

De amiss. grat. & stat. pec. c. 14.

Comb. l. 3. c. 14.

6. Lethale agnoscunt à Deo prorsùs avertere, & ad creaturam convertere in demeritum patrantis æviternum supplicium. Hujus Hydræ duplex statuitur radix; timor malè humilians, & amor malè accendens. Triplex fomentum; concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ. Septiforme caput; superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, luxuria. de quibus & eorum spuriis vitulaminibus fusiores sunt Sententiarii & moralistæ quàm ut cujusvis compendii alveo possint coerceri.

7. Hæc non natura differunt à venialibus, sed gravitate; siquidem aliud peccatum alio dici potest atrocius; vel 1. ratione causalitatis ut angelorum, quia nullo impellente ceciderunt. vel 2. generalitatis ut *Adam*, cujus lapsus personæ infecit totam hominis naturam. vel 3. monstrositatis ut *Judæ*. vel 4. scandalositatis ut homicidiale *Davidis* adulterium, Christi proditio, aut subditorum christianorum regicidium. vel 5. Stupiditatis ut moscholatria *Judæorum*, aut Christianorum iconolatria. vel 6. Irresistibilitatis ut concupiscentia. vel 7. Insanabilitatis ut peccatum in Spiritum Sanctum. Unde nullatenus habeantur paria (ut delirarunt *Stoici*) sed aggravantur aut minuuntur per circumstantias.

Quis

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Peccata quatuor clamantia comprehenduntur in hoc diſtichо;

Clamant ad cœlum 1 vox ſanguinis, 2 & Sodomorum,
3 Vox oppreſſorum, 4 merces detenta laborum.

9. Sacrilegium eſt perſonarum, locorum, aut rerum divino cultui conſecratorum irreverens tractatio, violatio aut alienatio. Ideoque ut latrocinium quaſi in Deum ipſum attentatum extremis ſupplicijs eſt vindicandum. Committi vero dicitur cum vel 1. ſacrum de ſacro, vel 2. non ſacrum de ſacro, vel 3. ſacrum de non ſacro auferitur. *Sent. l. 3. d. 37. C.* *Aq. 2. 2. q. 99.*

10. De peccato in Spiritum Sanctum ſic philoſophantur, ut cum peccatum in patrem appropriatè (ut loquuntur) ducant ex impotentia, peccatum in filium ex ignorantia; hoc in S. S. peccatum deſtinatæ attribuunt malitiæ: quod remiſſibile eſſe concedunt, ſed actu non remitti, quia excludit obſtinata pervicacia quodvis veniæ medium. Unde ſex iſtius ſtatuuntur ſpecies 1. Deſperatio, 2. Præſumptio, 3. Agnitæ veritatis impugnatio, 4. Fraternæ gratiæ invidentia, 5. Obſtinatio, 6. Finalis impœnitentia. quibus addi poteſt 7. Blaſphema Chriſtianiſmi abjuratio, & fidelium inſectatio. *2. Sent. d. 43.* *Aq. 2. 2. Q. 14* *Comb. l. 3. c. 29.*

QUÆSTI

QUÆSTIONES.

An
1. *Luciferi nomen, congruè Diabolo assignetur?* N.
2. *Peccatum originale aliquid positivi ab Adamo in posteros transtulit?* A. Aq. N. Scot.
3. *Ex doctrina Calviniana Deum authorem esse peccati concludatur?* N.
4. *Qui asserunt omnia peccata sua natura esse mortalia, eadem cum Stoicis statuunt esse paria?* N.
5. *De venialium & mortalium censu certò inter Mros convenit?* N.
6. *Religiosè Deo consecrata propter administrantium abusum ad profanos, aut seculares usus possunt retrahi?* N.
7. *Scelera religione palliare, reluctante conscientia, sit artificiosè in Spiritum Sanctum peccare?*

CAP.

CAP. IV.

DE REDEMPTIONE.

§. 1. DE LEGE.

1. REdemptio adhibet peccato remedium per conſtituta à Deo media.

2. Medium tale concipiatur eſſe vel { 1. Cohibens, Lex. 2. Sanans, Salvator.

3. Lex occurrit { 1. Æterna. 2. Naturalis. 3. Humana. 4. Conſuetudo. 5. Moralis. 6. Ceremonialis. 7. Judicialis.

4. Æterna ſtatuitur ratio totius univerſi gubernatiua in mente divina exiſtens, à qua reliquæ omnes leges ducunt originem.

5. Lex naturalis eſt legis quaſi æternæ creaturæ rationali impreſſio, immutabilis & omnibus nationibus communis: quæ inter bonum & malum diſtinguit juxta inditæ rationis dictamen. Unde contra eam nulla admitti debet diſpenſatio. Ab hac

Ib. q. 95.

6. Leges omnes humanas sive positivas asserunt esse derivatas; quibus impii cohibeantur à vitiis metu pœnæ, & innocui protectione, & præmiis ad virtutes extimulentur; idque apud varias nationes variè.

7. Inter leges vero humanas consuetudo rationabilis vim legis obtinere defenditur: præsertim ubi lex deficit, aut ubi dubia est & interpretatione indiget. *Aq.* 1.2.*q.* 97. *art.*3. *Becan. pag.* 364.

Aq. 1. 2. *q.* 100. *art.* 4. *C mb. l.* 5. *c.* 59.

8. Moralis decalogo comprehenditur, è cujus tabulis duabus prima 3ª complectitur mandata, patrem, filium, & spiritum sanctum respicientia. sic ut divina Unitas in 1º, Juramenti veritas in 2do, spiritualis vocatio in 3º, tribus personis ordine appropriata concipiantur. Vel quia in Patre authoritas, in Filio coæqualitas, in S. S. communitas præcipuè ostenditur. *Sent. l.* 3. *d.* 37.

9. In septem secundæ tabulæ mandatis primum præcipit debitam omnibus superioribus reverentiam; & quia opere & ore & corde læditur proximus, 2dum, 3m, & 4m prohibent homicidium, adulterium, furtum, quibus vita, uxor, aut bona proximi opere violantur. 5tum os obstruit ne proferat falsum testimonium. 6m, & 7m nec rem, nec uxorem proximi vel corde expeti non sinit. Alii aliter quatuor mandata tabulæ, primæ de divino cultu, & reliqua sex de charitate in proximum deputant: sed si quinque primæ, & totidem secundæ designes præcepta cum aliis, dexterior proculdubio erit mandatorum partitio.

10. Ubi in præcepto de sabbatho rectè notant quòd morale sit cultui divino & publico diei alicujus designatio; cæremoniale verò septimæ diei assignatio. Ideoque mutetam illam sub Evangelio ab Apostolis accipimus, quæ tropicè, allegoricè, & analogicè cessationem à peccato, quietem Christi in sepulchro, & requiem in cœlo perpetuam graphicè Sabbatizantibus adumbrat.

11. Cæremoniæ referuntur ad istas classes. 1. Sacrificiorum

ficiorum, quæ Deo cultum præſtabant, & *Chriſtum* adumbrabant. 2. Sacrorum, quæ conſecrata cultui exhibent inſtrumenta; ſicut tabernaculum, vaſa, veſtimenta, & hujuſmodi. 3. Sacramentorum, ut Circumciſio, & paſcha ſacerdotes & populum ad cultum ſanctificantia. 4. Obſervantiarum in cibis, jejuniis, aut purificationibus: quibus diſtingueretur Judæorum ab alienigena converſatio. *Aq.* 1.2. q. 101. ar. 4.

12. Harum aſſignantur rationabiles cauſæ tres 1. Quoad Deum, cujus cultum promovent, & cui præſtant obſequium. 2. Quoad homines, quorum exercent obedientiam, abducentes ab humanis inventis mores informant, & ἀπραξίαν ſecundum analogiã quandam perpetuò in Eccleſia generatim obſervandam. 3. *Chriſtum* adumbrant, qui complementum illis præſtaret, ut oborto quaſi ſole tenebræ fugarentur, & typi ad antitypi præſentiam. 1 *Deum honorant.* *Aq.* 1.2.q.102 2 *Idololatriam excludunt.* *Ib. ar.* 2. 3 *Chriſtum adumbrant.*

13. E ſacrificiis quæ erant 1. Holocauſta, 2. Pro peccatis, 3. Pacifica, Holocauſtum genus ſacrificii igne penitus abſumtum oſtendit, cultum noſtrum tantùm Deo eſſe impendendum. Sacrificium pro peccatis in duas partes diviſum: quarum una ſacerdoti ceſſit, ſuggerit ſacerdotis miniſterium ad peccatorum expiationem ex Dei inſtituto intervenire. Tripartitum ſuccedit ſacrificium pacificum; quarum una ceſſit Deo; altera ſacerdoti; tertia offerenti; quòd ſalus hominis procedit à Deo, dirigentibus miniſtris, cooperantibus etiam ipſis hominibus qui ſalvantur. Animalium autem oblatorum talis ſtatuitur Θεσμοθεσία. 1. Agnus oblatus ſuperbiam; 2. Hædus laſciviam abſumendam ingerunt; ut 3. Turtur caſtitatem; 4. Columba ſimplicitatem ſeu innocentiam Deo conſecrandam ſignificant. 5. Cum azymo ſinceritatis; & 6. Sale, & oleo prudentiæ, 7. Agnus paſchalis, caper apopompæus, rufa juvenca, ut & omnia alia ſacrificia, quæ in unica Chriſti Salvatoris in cruce oblatione com-

complementum habent & periodum, ad Chriſtum nos punctiùs manuducunt.

14. Nec minus ſacra erant didactica, 1. In perſonis ſepolitis, & conſecratis ad munera Eccleſiaſtica, 2. In Tabernaculo & Templo, mundum, Eccleſiam, & cœlum adumbrantibus, 3. In candelabro, Altaribus, & Templi ornamentis, quibus cultus reverentia incutiebatur. Ita veſtes Sacerdotales tot erant Religionis reverentiæ, & authoritatis Symbola. 4. In Feſtis ſolennibus, beneficia divina quæ præ cæteris erant illuſtria, depingentibus, quæ Chriſtianorum templis & cultui quaſi facem præferunt.

15. Sacramenta verò Circumciſio, & Agnus Paſchalis initiationem per baptiſmum, & redemptionem paſſionis Chriſti per cœnam Domini ſub Chriſtianiſmo expreſſam, referunt. ſic extèrnæ ſub lege purificationes internam mentis puritatem figurant.

16. Obſervantiæ poſtremo cœleſtem quandam ſuggerunt Ethicam. 1. Ex animalibus ruminantibus, Sacra eſſe meditanda. 2. Ex Piſcibus ſquammoſis aſperitatem vitæ non eſſe declinandam. 3. E veſte lanea & linea hypocriſin eſſe fugiendam. 4. Ex Equo, & Aſino, hoc eſt ex ſtupidis & generoſis difforme coaleſcere conjugium. 5. Coctionem hædi in materno lacte, crudelitatem deteſtandam. 6. Bovis triturantis curam, paſtorum inſtituentium præcipuam rationem eſſeha bendam. 7. Prout Aves & impura animalia. 1. Pavonis ſuperbiam. 2. Accipitris rapacitatem. 3. Cygni ingluviem ex limo petitam. 4. Upupæ indificationem in ſimo. 5. Bubonis noctivagos ululatus. 6. Canis impudentiam. 7. Porci ſpurcitiem in ethicis ſuorum religioſis abominanda præcipiunt.

17. Quemadmodum autem cæremoniæ primæ, ita judicialia ſecundæ inſerviunt tabulæ, ut exactiùs utriuſque impleantur præcepta. 2. Judicialia *Judæis* lata, non

non obligatoria erant ex ratione, ſed inſtitutione, nec cæteris nationibus niſi ad placitum injungenda. 3. Reſpiciebant vero habitudines, vel 1. Inter Reges & ſubditos. 2. Inter ſubditos ad ſe invicem. 3. Inter *Judæos* & extraneos. 4. Inter ejuſdem familiæ domeſticos. de quibus Vid. *Aq.* 1. 2. *q.* 104. & 105.

C 3 §. II.

SECT. II.

DE SALVATORE.

Lomb. 3. sent. d. 1. Aq. part. 3.

LEgis pædagogia ad *Christum* duxit, ex cujus vicibus sanitatem sumus consequuti.

2. Hujus perpendenda summa cum veneratione occurrunt
1. Æterna generatio.
2. Incarnatio.
3. Muneris Mediatorii administratio.
4. Passio.
5. Resurrectio.
6. Ascensio.
7. Gubernatio.

3. Ut æterna innotescat filii generatio, distinguunt de filio quòd alius sit 1. Per gratiam unionis, sic *Christus* homo. 2. Alius per adoptionem, ut Sancti. 3. Aliquis per creationem, ut creaturæ. 4. Unicus hic per veritatem nativitatis, qui ejusdem est cum Patre naturæ, & æternitatis. 2. Cujus dicitur imago non 1. Imitationis, ut homo Dei. non 2. Repræsentationis, ut mundus speculum creatoris. Sed 3. Æqualitatis, qua non rapinam duxit esse æqualem Deo. *Philip. 2.* Unde dicitur 3. Splendor gloriæ paternæ ab æterno ab ipso emanans. Figura substantiæ, seu character ejusdem cum obsignante essentia; portans omnia verbo virtutis suæ, ejusdem cum Patre omnipotentiæ. *Heb. 1.* Quæ tremenda fidei mysteria præstat simplicitèr credere, quàm penetrantiùs discutere; ne scrutator majestatis opprimetur à gloriâ. Vid. *Barad. Harmon.*

Comb. L. 1. c. 5. 6.

4. Incarnatio scrupulosius eventilatur 3° *Sent. d. 1.*

&

& deinceps. ut à principio 3 part. *Aquin.* & *de Comb. l.* 4. Ubi 1. Salutatio angelica. 2. Responsio Virginis. 3. Sanctificatio materna. 4. Conceptio divina. 5. Incarnationis ratio. 6. Modus. 7. Utilitas proponuntur ordine.

5. Muneris Mediatorii administratio conspicua fuit. 1. 1. In tentatione. 2. Prædicatione. 3. Miraculis, missionē & doctrinam confirmantibus; quæ persequitur *Aquinas part.* 3. *q.* 41, 42, 43, 44. Ubi miracula revocantur ad 4^r capita. 1. Circa spirituales substantias in dæmoniis ejiciendis. 2. Circa cœlestia corpora, tenebras inducendo, ventis præcipiendo. 3. Circa homines, benè omnia fecit surdos audire, mutos loqui. 4. Circa creaturas irrationales, ut siculnea execrata. *Mat.* 21.

6. Ad passiones referunt 1. Antecedentes cruciatus, 2. Mortem, 3. Sepulturam, & 4. Ad inferos descensum de quo descensu poeticè potius speculantur, quam Theologicè. *Aq.* 3. *p.* 9. 52. *Aq. ib. Q.* 46, 47, 48, 49.

7. In resurrectionis Articulis expendendis frigida accumulant, & supervacanea; apparitiones tamen ipsius, & argumenta manifestantes veram ejusdem corporis resurrectionem commodè ab illis urgentur. *Ib. Q.* 53. *Comb. l.* 4. *c.* 23.

8. Ascensionem sic ab assumptione, & avolatione distinguunt, ut assumptio sit B. Virginis: Avolatio Sanctorum: *Christi* autem propria virtute ascensio; idque supra cœlos, ad Patris sedens dextram, in eadem cùm illo gloria, & potentia. *Aq. Q.* 57, 58.

9. Unde gubernat Ecclesiam quoad doctrinam, cultum, & disciplinam: Inde tamen est venturus ad judicandum mortuos, & vivos. *Ib.* 59.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An

1. Æterna Christi generatio ex scripturis tantùm demonstretur? A.
2. Incarnatio ad justitiæ divinæ satisfactionem, & nostram redemptionem absolutè fuerit necessaria? A.
3. Miracula sint hodie requirenda ad veritatem apud Christianos stabiliendam? N.
4. Descensus Christi ad inferos habuerit Limbum Patrum pro termino? N.
5. Assumptio B. Virginis aliquo nitatur testimonio fide digno? N.
6. Christi corpus in ascensu solidos cœlorum orbes illocali quodam modo penetraverit? N.
7. Christus Pontificem Romanum in totius Ecclesiæ militantis hic in terris gubernatione Vicarium ipsius, seu Pro-Regem constituerit? N.

CAP.

CAP. V.

DE GRATIA.

LEX data est per *Mosen*, gratia & veritas facta est per *Jesum Christum*; ex cujus plenitudine nos omnes accipimus, & gratiam pro gratia. *Jo.1.16.17.*

1. Habitum infusorum.
2. Virtutum.
3. Donorum.
4. Præceptorum.
5. Consiliorum.
6. Beatitudinum.
7. Fructuum.

2. Gratia autem juxta Mariologos est vel

3. Habitus infusi sunt 1. Fides, 2. Spes, 3. Charitas. Fidei opponitur infidelitas; supponuntur duodecim articuli, qui in Symbolo comprehenduntur Apostolico. Alii ponunt 14, e quibus 7 Divinitatem, alii 7 Salvatoris respiciunt humanitatem, in 7 Stellis, & 7 Candelabris aureis adumbrati. 2. Ad spem referuntur 7 petitiones orationis dominicæ: de quibus *Aq.2.2.Q.83.* 3. Charitatis. 1. Excellentia, 2. Gradus, 3. Ordo, multis explicantur apud *Comb. l.5.c.23.* & seq. Confer. Summistas ad 2.2. Q.23. & seq. *Aq.1.2.Q.62* *Id.2.2.Q.1. & deinceps.*

4. Virtutes prosequuntur 1. Intellectuales, 2. Morales, 3. Homileticas cum vitiis oppositis generatim 1.2. & specialim 1.2. quæ recidunt ad Ethicam Christianæ referuntur. *Comb.l.5.c.1. & seq.*

5. Dona disterminant à virtutibus, quod istæ nos conformant rationis dictamini: hæc ductui ipsius Spiritus Sancti, cujus septem dona eliciuntur ex *Isai.* 11. 1. Sapientia expellens luxuriam. 2. Intellectus, gulam, 3. Consilium, avaritiam, 4. Fortitudo, acediam, 5. Scientia, iram, 6. Pietas, invidiam, 7. Timor Domini, superbiam. Sic ut per sapientiam simus maturi, 2. Per intellectum providi, 3. Per consilium cauti, 4. Per fortitudinem animosi, 5. Per scientiam discreti, 6. per pietatem misericordes, 7. per timorem humiles. Quæ significari asserunt per 7 *Jobi* filios; ut adumbrantur, tres Virtutes Theologicæ, per tres ipsius filias, & quatuor Cardinales virtutes per quatuor domus ipsius angulos.

Aq. 1. 2. Q. 68 Comb. l. 5. c. 38.

Aq. 1. 2. Q. 83. 4. 1.

6. Præcepta hic sub censu veniunt, non Dei mandata (de quibus antea in legis titulo) sed placita Romanæ Ecclesiæ, quæ vulgo tradunt esse quinque, 1. Dies festos ab Ecclesia præscriptos celebrato, 2. Missam integram singulis festis diebus, & Dominico audito, 3. Indicta certis diebus jejunia, & à nonnullis cibis, quo tempore illorum usus est prohibitus observato & abstineto. 4. Sacerdoti proprio, vel alii cujus locum tenenti singulis saltem annis confitetur, 5. Sacrosanctam Eucharistiam minimùm semel in anno, idq; ad Paschalem solennitatem sumito. Collecta per *Augustin. Hunnium* in Catechismo Catholico ab *Aquinate*, & ipsius sumenti assito.

7. Consilium, ut dividitur contra præceptum, tantum esse, aiunt, melioris boni, ad quod non tenemur. Unde ex observatis consiliis efflorescit meritoni supererogatio, quibus sic locupletatur thesaurus Ecclesiæ, ut per indulgentias merita indigentibus impertiantur. 2. Consilia hujusmodi numerant *Combis* 12. 1. quibus votum perpetui cœlibatus, 2. paupertatis voluntariæ, 3. Obedientiæ Monachalis, juxta regulam, suis superioribus communiter probantur, & defenduntur.

Comb. l. 5. c. 69.

Bell. de Monachat.

8. Beatitudines sic à virtutibus & donis distinguuntur; quòd virtutes disponant tantùm ad actionem: Dona ad contempla-

plationes: Beatitudines verò ad utriusque perfectionem. 2. De harum numero non convenit. 7 ponuntur in compendio Theologico, nempe 1. Paupertas spiritus excludens superbiam, 2. Mititas iram, 3. Luctus invidiam, 4. Esuries justitiæ acediam, 5. Misericordia avaritiam, 6. Munditia cordis gulam, 7. Pax luxuriam, quibus superaddita patientia orbem confecit. In octonario & cuivis particulari beatitudini suum affigit præmium *Mat.* 5. 3. Ubi misericordiæ ex superabundanti 7 opera corporalia ascribuntur, sic verificata. *Comb. L. 5. c. 47. Aq. 1. 2. q. 69.*

1. Visito, 2. Poto, 3. Cibo, 4. Redimo, 5. Tego, 6. Colligo, 7. Condo. & totidem spiritualia.

1. Consule, 2. Castiga, 3. Solare, 4. Remitte, 5. Fer, 6. Ora,

7. Expertemq; Dei dogmata sacra doce.

Atque hinc exundant conceptiones 7 mentales circa veritatem contemplandam; quæ contemplatio ascendit, 1. A sensu, ad 2. Imaginationē, ab imaginatione, ad 3. Rationem, à ratione, ad 4. Intellectum, ab intellectu, ad 5. Meditationem, à meditatione, ad 6. Contemplationem quasi extaticam, & hinc ad 7. Acquiescentiam, quæ incipit hic in via, & consummatur in gloria. *Comb. L. 5. c. 52.*

9. Fructus non statuuntur novi habitus, sed status consolationis, quibus reficitur spiritus justorum. Ex acceptis donis & beatitudinibus, 2. 12 ab Apostolo numerātur *Gal.* 5. *v.* 22. 1. Charitas, 2. Gaudium, 3. Pax, 4. Patientia, 5. Benignitas, 6. Bonitas, 7. Longanimitas, 8. Mansuetudo, 9. Fides, 10. Modestia, 11. Continentia, 12. Castitas. quibus quæ attexuntur in *Compend. Theol. l.* 5. *c.* 8. *de dulia*, cultu creaturis & imaginibus debito, 2. Hyperdulia, carni *Christi* B. Virgini, & ligno Crucis exhibito, 3. Latria, Deo & imaginibus suis reservato, tàm crassa sunt delicia, ut sputo potiùs digna sint, quàm mentione scholastica.

QUÆSTIONES.

An

1. *De Fide justificante aliquid sani à scholasticis elicia-tur?* Vix.
2. *Eucharistia, philadelphia, & antimelia à Theologis po-tius quàm virtutes intellectuales, & morales sint re-flandæ?* A.
3. *Indefinita Spiritus Sancti dona reflè ad septenarium nu-merum revocantur?* A.
4. *Romanæ Ecclesiæ placitis Ecclesiasticis cæteræ particula-res Ecclesiæ sint obligatæ?* N.
5. *Paupertas, cælibatus, & Monachatus obedientiæ vota, perfectionem Christianam impediant potius quàm promo-veant?* A.
6. *Octo discipulorum Beatitudinibus, totidem ve Pharisæo-rum commodè opponantur?* A.
7. *Latria & dulia promiscuè in Scripturis usurpentur absq; hyperdulia alicujus vestigio?* A.

CAP.

CAP. VI.

DE SACRAMENTIS.

1. SAcramenta ſtatuunt vaſa talia medicinalia, ut ex operato ſalutem conferant. in quo à V. T. Sacramentis deferre illa prædicant: ſiquidem (habet compendium) 1. A peccatis mundant, 2. In bono conſervant, 3. Corpori *Chriſti* myſtico incorporant, 4. Juſtificant, 5. Ad futuram vitam præparant, 6. Erudiendo illuminant, 7. A malo conſervant. 4. *Sent. Aq. part. 3. Q. 60. Comb. L. 6. c. 4.*

2. Suntq;
1. Baptiſmus.
2. Confirmatio pugnantium.
3. Euchariſtia vires reſumentium.
4. Pœnitentia reſurgentium.
5. Ordo.
6. Matrimonium.
7. Extrema unctio. *Aq. part. Q. 65.*

Ex quibus Baptiſmus, confirmatio, & ordo imprimunt characterem indelebilem, ideoq; iteranda non ſunt: reliqua iterantur ut fert occaſio.

3. Baptiſmi utcunque ſubſtantiam retinent, 1. Neceſſitatem tamen ipſius præciſam ſic urgent, ut infantes non baptizati puerorum limbo perpetuò addicantur abſque omni redemptionis ſpe ad ſtatum meliorem. 2. Exorciſmus in eo ſic adhibetur, ut parum ab incantamento diſtinguatur. 3. Ceremoniæ aliæ adjectæ (uſq;

ad numerum duodenum) superstitionem maxima ex parte & vanitatem redolent.

Bell. de Bapt. c.25.

4. Confirmatio confimilibus oneratur tricis; v.g. balsami, & olei per halitum Episcopi consecrati. 2. Salutationis, Ave sanctum Chrisma. 3. Fasciæ frontem ligantis, unde per septedium facies non est lavanda; & hujusmodi: qui lusus potius videantur histrionici, quàm solennes sacramenti administrandi ritus: quanquam nec confirmatio sacramentum propriè dici potest; utcunq; sit disciplinæ Ecclesiæ pars utilis, & solenniter retinenda.

Bell. de Conf. c.13.

5. Eucharistian, 1. Transubstantiatio, 2. Detruncatio, & 3. Missalis sacrificii horrendum commentum, non sanguinolentum tantùm sed monstrosum reddiderunt. de quibus nec Magistri, nec discipuli satis inter se conveniunt, & ut hæreticos illos Vulcano adjudicant, qui non cum illis hærent in eodem luto. Vid. mirabilia 9 hujus Sacramenti, *Compend. l.6.c.14.* ut de officio & negligentia in missa commissis usque ad muscæ, aut aranea interventum. *Ib.c.18,& 19.*

6. De pœnitentia multa tradunt non pœnitenda, 1. De Contritione, confessione, & satisfactione sano sensu intellectis, 2. De peccatis & tentationibus Sacerdoti aperiendis, & absolutione submissè petenda, 3. De pœnis piè adjunctis, & agnitis subeundis. Ad quæ promovenda conferunt versus isti peccatum aggravantes.

1 2 3 4 5 6
Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus,
7 8 9 10
Lucta pusilla, modus culpæ, genus, & status altus,
11 12 13 14 15
Conditio, numerus, ætas, & scandala, sexus.

Prout isti de confessione,

Sit

1 2 3 4
Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
4 5 6 7 8 9
Vera, frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
10 11 12 13
Integra, ſecreta, & lachrimabilis, accelerata,
14 15 16
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

2. Nec ſigillum ejus ſic ſacroſanctum ut obſignentur ſub eo Eccleſiaſticæ & Reipublicæ ruinæ, 3. Sed hæc de venialibus videntur judicia,

1 2 3 4 5
Confiteor, tundo, conſpergor, contero, fundo,
6 7 8
Signor, edo, dono, per hæc venialia pono.

Aliàs pœnitentia non ut propriè ſacramentum, ſed ut præſtantiſſimum animæ ſaucïatæ medicamentum ab omnibus eſt amplectendum.

7. Quod de ordinis ulteriùs adjiciunt, 1. Neceſſitate, 2. Dignitate, 3. Ordinandorum qualitate, & 4. Ordinatorum officiis, è ſcripturis propemodùm & Eccleſiæ praxi elicïantur. Tantùm Sacramenti titulus hîc etiam præter ordinem habetur; 2. Numerus ordinum ſeptenarius ad ſeptem gradus aſcenſus in thronum *Salomonis* non tam commodè adaptatur, ut ſint præter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, 1. Oſtiarii, 2. Exorciſtæ, 3. Lectores, 4. Subdiaconi, 5. Acolythi in eadem Ordinum claſſe, 3. Et cæremoniæ in ordinandis cum injuncto cœlibatu multiplici Chriſtianæ ſimplicitati & libertati detrahunt. *Comb. l. 6. c. 26.*

8. Matrimonium Sacramentis accenſent, quia ex cauſis matrimonialibus non mediocre emergit lucrum, dùm in multiplicatis gradibus prohibitis mercetur diſpenſatio. 2. Indiſſolubile tamen vinculum legitimè contractum omnes concludunt. 3. Conjugii impedimenta comprehendunt his verſiculis, *Id. l. 6. c. 38. Aq. 3. part. ſupplement. Q. 41. 4. Sent. d. 26.*

Error

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, jus, ordo, ligamen, honestas,
Si sit affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda vetant, conjugia facta retardant.

Abusus conjugii hoc districho.

Quinq; modis peccat uxore maritus abutens;
Tempore, mente, loco, conditione, modo.

Reconciliatio dimissæ propter fornicationem, hoc

Ultimò mœchatur, retinet, nec conciliatur,
Absens prostituit, jus, fraus revocant mulierem.

Hujusmodi de conjugiis edocti fortasse à concubinis tradunt cœlibes.

9. Extremæ unctionis sacramentum deducunt ab unctione *Davidis*; qui triplici vice unctus fuit, 1. In domo patris in signum regni futuri: unde unctio in baptismo, 2. In Hebron super Judæam, quæ confirmationis sacramentum indigitat, 3. Super omnem Israel, quæ extremæ nostræ unctioni stravit viam. 2. Hæc abstergere dicitur venialia. si unctus igitur statim moriatur quid relinquitur in Purgatorio expiandum? cùm venialia peccata sint tantum Purgatorii pabulum. 3. De partibus ungendis à Presbytero quædam præcipiuntur, quæ parum conveniunt castitatem profitentibus. Multo sacratior est, & *Jacobi* præcepto accommodatior, Ecclesiæ nostræ Anglicanæ Ægrotorum præscripta visitatio.

Comb. l. 6. c. 35. Aq. 3. part. suppl. Q. 29.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Chriſti ſolius fuit immediatè Sacramenta inſtituere?* A.
2. *Chriſtianorum infantes ante Baptiſmum morientes puerorum limbo perpetuò mancipantur?* N.
3. *Tranſubſtantiatio ſit omnium errorum circa Euchariſtiam ſeminarium?* A.
4. *Confeſſio peccatorum ingenua, & pia Sacerdotis abſolutio, diſciplinam Eccleſiam maximè promoveant?* A.
5. *Ordo Epiſcopalis, Presbyteralis, & Diaconatus in ſcripturis diſtinctim tantùm inveniantur?* A.
6. *Matrimonium ſit cœlibatui in Eccleſia militante præferendum?* A.
7. *Religioſa ægrotorum viſitatio extremæ unctionis defectum facilè ſuppleat?* A.

CAP. VII.

DE NOVISSIMIS.

1. NOvissima à Magistris habentur quæ ad finem mundi peragenda rejiciunt.

2. Cujusmodi statuuntur
1. Adventus Antichristi.
2. Gog & Magog.
3. Enoch, & Elias.
4. Animarum post mortem receptacula.
5. Mundi conflagratio.
6. Resurrectio.
7. Judicium.

3. Antichristus juxta *Magistros* non status erit tyrannicus, sed persona, 1. Ex tribu *Dan Babylone* nasciturus, sub diaboli educandus panurgia; unde miraculis postea inclarescet, 2. *Henochum* & *Eliam* egredientes è paradiso, ut ejus obstent animarum ἁρπαγῇ, seu deprædationi, è medio tollet, & in medio platearum insepultos relinquet, 3. Ergo adversus ejus lanienas colligent Christiani exercitum in vertice Apadni-montis, 4. Unde Anti-Christus mittet contra eos duces suos *Gog* & *Magog*, cum non numerandis copiis, 5. Sed *Gog* & *Magog* à terra absorptis è cœlo absumentur fulgetris, ita tamen ut relinquant spolia in sempiternæ incendium. 6. Recolliget nihilominus Anti-Christus copias ad rediturum grandinum prælium, sed gladio è cœlo profligatur, & sagitta lethali jaculatur.

Comb. L. 7. c. 7.

7.

7. Mortem igitur simulat, & post triduum resurgit, & dæmonum suecollatione adversus cœlum militat: sed obviam habet *Christum* cum *Michaele* signifero, qui dicit ipsi morere, & moritur. *Didacus Baeza in 6. Concionibus ad Tom. 2. comment. in N. T.* annexis. II. Tolerabilius alii Anti-Christum 1. E tribu *Dan* à diabolo inspiratum deducunt, 2. A Judæis pro *Messia* recipiendum, 3. Characterem suum, quo dignoscatur ab aliis omnibus suis assectis, imprimentem, 4. Decipientem hypocriticè, 5. Gallida persuasione simplices, 6. Operatione miraculorum curiosos, 7. Donorum largitione avaros, 8. Tormentorum exhibitione exordes & timidos. III. Anti-christum autem esse caput omnium malorum probat *Aquinas* ex textu [interrogate quemlibet ex viatoribus] *Job.* 21. 20. ad glossæ directionem: sed quâ logica magistri nostri videant. 3 *Part. Q. 8. a. 8.*

4. *De Gog & Magog* nil fœl proferunt; multicant tantum vel 1. Illos denotare decem tribus intra montes *Caspios* inclusos, unde ne exeant impediuntur ab *Amazonum Regina*, aut à homine quodam Sabbatino: de quo *Josephus* & *Eldad Danius*. 2. Sed cum exitus tandem illis patebit in fine seculi irruent in *Hierusalem* à *Messia* (quem expectant *Judæi*) instaurandam, & ab ipso penitus conficiendam. 3. Rectius Glossa per *Gog* designantur illi per quos latenter diabolus persequitur fideles: per *Magog* illi per quos apertè Ecclesia opprimitur: quas operas *Papa* & *Turca* inter se videantur distribuisse. *Comb. L. 3. c. 7.*

5. *Henoch* & *Elias* qui terrestris paradisi hodie fruuntur deliciis, inde statim erumpent ad retundenda Anti-christi molimina, sed interficientur ab illis, & cadavera ipsorum jacebunt insepulta per totum triduum & diei dimidium in plateis *Hierosolymitanis* donec resuscitentur, & in cœlum miraculosè transferantur. 2. Unde ut *Judæi* argumentantur non venisse *Messiam*, quia nihil de *Gog* & *Magog* audiverunt: sic *Romanenses* demonstrant Anti-christum non venisse, quia *Henoch* & *Elias* non comparue-

runt, ut expectantur, 3. Sed temerarios & impudentes illos judicat *Maldonatus*, qui *Henocho* hic facessunt negotium, cum *Moses* & *Elias* sint isti testes sic ab Anti-christo tractandi. de quibus apud Magistros altum silentium.

6. De occultis animarum receptaculis ita *Magister* ex *Augustino*. Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumnâ, pro eo quod sortita est in carne dum viveret, 2. Ærumnosis suffragia vivorum prosunt, qui, ut prodessent dum in vivis erant meruerunt. 3. E quibus glorificati audiant preces, & innotescant illis nostræ necessitates, in verbo quod contemplantur, ideoq; orationes viventium meritò ad illos dirigantur, de quibus multus est *Scotus* ad istam distinctionem. 4. *Sent. d.* 45.

7. Mundi conflagrationem asserunt, non corpora omnia visibilia absumere (ut nescius quidam statuunt moderni) sed ignem istum habere quadruplex officium, infernalis reprobos puniendo, purgatorii à venialibus purgando, terrestris vegetabilia & sensibilia consumendo, elementaris elementa subtiliando, & ad innovationem disponendo. *Comb. L. 7. c. 15.*

8. In resurrectione factâ ad vocem tubæ, resurget idem corpus numero, utcunq; infinities dissipatum, &c. 1. quantum ad esse, 2. quantum ad integrum esse, 3. quantum ad decorum esse, 4. quantum in optimo suo esse; sic ut pueris accedit status virilis, mutilatis membrorum restitutio, monstrosis symmetria, ut ita tandem sistantur ultimo. *Id. L. 7. c. 16.*

9. Judicio, quod præcessit 3. citatio. 1. Per Prophetas vocavit, & renuistis *Prov.* 1. 2. Per Apostolos mihi servos, sed se excusarunt *Luc.* 14. 3. Per tubam; quæ peremptoria est. nec uniforme est judicium, ut præsentis Ecclesiæ, nec 2. Multiforme ut conscientiæ, sed 3. omniforme, quod de anima corpori reunita fertur sententia. 2. Reprobis vero hædis adjudicatur, &c. Abyssus sine fun-

do, 2. Carcer ſine exitu, 3. Ignis materialis non extinguendus, 4. Vermis non perimendus, 5. Tenebræ non illuminandæ, 6. Sulphur non abſumendum, 7. Tortores diaboli non abigendi, fatigandi, leniendi. 3. Electis verò conferuntur dotes, donationes, & paraphernalia cœleſtia; idq; quoad corpus, 1. Claritas, quæ tollit obſcuritatem, 2. Impaſſibilitas, externam lætionem, 3. Agilitas, tarditatem, 4. Subtilitas, oppoſitorum reſiſtentiam. Quoad animam donantur, 1. Aures beatitudine ſatisfacientur. quod præmium dicitur eſſentiale omnibus Beatis communicatum. Aureolæ præmia accidentalia; quæ deferuntur, 1. Martyribus, propter victoriam de mundo, 2. Virginibus ob ſubjugatam carnem, 3. Prædicantibus propter profligatum diabolum. Unde oritur & perpetuatur ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda fœlicitas, fœlix æternitas: ubi æterna beatitudo, beata certitudo, certa viſio & ſine fine laudatio; cum affluentia divitiarum, confluentia non concipienda à mortali pectore omnium bonorum. Ad quæ perducat nos cœleſtis Pater per Filium ſuum Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, Spiritus Sancti ab utroq; procedentis efficaci operatione. Cui Deo Tri-uni ſit omnis honor, laus, & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

Id. l. 7. c. 30.

FINIS.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Anti-Chriſtus ſit hominum potiùs ſucceſſio Chriſtianiſmo exitialis, quàm particularis perſona?* A.
2. *Gog & Magog futuri ſunt Anti-Chriſtianarum turmarum duces?*
3. *Henoch & Eliæ è Paradiſo ſunt expectandi ad Anti-Chriſtum oppugnandum?*
4. *Alia animarum receptacula ſint credenda præter cœlum & gehennam?*
5. *Mundi conflagratio annihilabit potiùs quàm purificabit omnes aſpectabiles creaturas?*
6. *In reſurrectione præter cætera fiat ſexus mutatio?*
7. *Poeticæ potiùs de dotibus aureis, & aureolis habeantur commenta, quàm certa ſcripturæ dictata?*

FINIS.